



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

Sect. IV. Confringuntur 6. Janseniorum tela pro Jansenio Augustini sensibus componendo circa prætensam præceptorum aliquorum impossibilitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

## S E C T I O I V.

*Confringuntur Iansenianorum pro Iansenio Augustini sensibus componendo fabricata tela circa præensam Præceptorum aliquorum impossibilitatem.*

In antecessum præmitto Argumentum, quo Jansenium tuèri possent Janseniani.

## A R G U M E N T U M P R I M U M.

Quisquis cum Augustino asserit omnia præcepta omnibus, exceptis dæmonibus ac damnatis, esse possibile non potest simul asserere aliqua esse impossibilia; sed Cornelius Jansenius asserit primum; igitur non affirmat secundum: *Omnia enim possible esse, & aliqua esse impossibilia* contradictionem implicantia coire non possunt.

Subsumptum claret ex cap. 15. Libri 3. de *Pag. 330.*  
Christi Salvatoris ubi quatuor possibilitatis gradus enumerat. Primò remotissimè dicit esse possibile per solam Liberij arbitri *flexibilitatem*, & in probam adducit illud Augustini: *Ut enim sit natura fidem posse habere.* Et iterum: *Posse habere fidem, posse habere Charitatem, natura est hominum.* Et hæc possibilitas non est nisi *Fidei, Dilectionis bonæque Vitæ capacitas.* Huius exsortes dicit esse damnatos ac dæmones: quia de diabolo Augustinus ait: *Nec ipse diabolus habet liberum (arbitrium) ad benè faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum: & libro*

*S. Aug. de Præd. SS. c. 5.*

*Epist. 107.*

*De gen. ad lit. l. 11. c. 23.*

92 LIBER PRIMUS

bro undecimo de Genesi ad litteram : *Factum est in illo pondere meritorum , ut nec justitia possit lumine delectari.*

Iansen. l. 4. Quod tamen dæmones hâc boni impossibilitate ligati non amplius damnationem gravio-  
de statu nat. reantur, soli statui peccantium attribuendum  
lapsæ cap. 25. asserit 4. de Statu lapsæ.  
pag. 663.

Secundò paulò propinquius dicimur posse benè  
L. 3. de Grat. vivere omnibusque tentationibus resistere & pec-  
Christi cas. cata cavère per fidem, quamvis dilectione &  
pag. 338. actuali Dei adjutorio internisque viribus volunta-

tis, de quibus antiè multa diximus, careamus :  
nam quamvis fides ista omnia per se nullo modo  
possit, quia tamen est semen orationis, per quam  
Charitatem & gratiam adjuvantem, & volunta-  
tis vires impetrare solemus, hinc per fidem ista  
posse dicimur. Probat ex Augustino dicente: per

Aug. ep. 107. quam fidem scit Diabolus eos posse mundari,  
posse sanari, posse perfectissimè liberos in æter-  
nitate regnare. Et alibi : si credis, ipsâ tibi  
in Psal. 120. POTESTAS data est, ut sis inter filios Dei, &c.

Tertiò dicimur plenius perfectiusque posse per  
Charitatem, per quam homo justificatur. Probat  
ex Augustino in epist. ad Romanos dicente: accipi  
Spiritus sanctum, per quem infusâ CHARITATE  
bona POSSIT OPERARI. Et infra: quo bona POS-  
SIT per dilectionem OPERARI. Item : illius est  
dare credentibus & Volentibus facultatem benè  
operandi per Spiritum Sanctum, per quem Chari-  
tas Dei diffunditur.

Quartò completissimè dicimur posse, quando  
pag. 340. sancti Spiritûs inspiratione sic voluntas prepara-  
tur, ut non nudè possit, sed etiam velit. Tali gra-  
riâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adju-  
vatur..... Hoc posse numquam habetur, nisi quan-  
do reipsâ quoque agitur, & est proprius effectus non  
fidei, aut Charitatis seu bonæ voluntatis habitua-  
lis,

DE PROPOSITIONE I. 93

lis, sed illius gratia actualis, quam attulit hominibus infirmis per Crucem suam.

Tandem ad argumentum à Possibilitate mandatorum Dei pro Gratiâ omnibus sufficienti subministratâ adsertum respondet: Cum igitur tot sint modi, quibus præceptum dicimur posse facere, totidem etiam erunt, quibus non posse dicamur. Quod & exemplis nonnullis in precedenti discursu declaratum est... ad Argumentum igitur (cap. 13. allatum) initio capituli decim tertij propositum veniendo, respondemus, PRÆCEPTA DEI ESSE pag. 341.

HOMINI POSSIBILIA, SEU POSSE AB HOMINE FIRRI, ET CONSEQUENTET HOMINEM EA POSSE FACERE. Etenim si jam Justificatus est, habet Charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & consequenter totam legem implere potest... Si autem fidelis quidem, sed nondum Justificatus est, habet aliquid bonæ voluntatis quatenus credit, nam ubi est initium Fidei, est etiam initium bonæ hoc est, piæ voluntatis: per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium invocare, & consequenter rectè pièque vivere. Aug. ep. 107.

Ex his deducit Author folij typis editi à pluribus annis & Panegyri Jansenianæ postea inserti contrariam damnatæ primæ propositioni à Jansenio esse traditam, signanter postremis solutionis verbis.

RESPONSIO PRIMA.

*Per telum regestum.*

Quisquis exerte nitidèque asserit aliqua Dei præcepta non modò infidelibus, sed etiam fidelibus & Justis esse impossibilia, asserere nequit omnia omnibus esse possibilia, nisi secum confingere vel Chameleontem agere gestierit; at Jansenius primum luculentissimis terminis præstitit

fuit ; igitur si capite altero , scilicet 15. posteriori secundum asseruerit, semetipsum in pugnam misit , aut errorem in Augustinum commissum recantâvit.

## RESPONSIO SECUNDA.

**A**sumptum de viro constanti & sui per omnia simili sanæ dialexeos nemo inficias ibit. Contradictoria namque sibi maritari non possunt. At quantò Jansenius secundiori Marte Augustinianam possibilitatem multigenam vindicavit, tantò infortunatiori Anti-Augustinianam illam impossibilitatem à se assertam clade prostravit. Assolet fors illa obtingere viris in opposita dogmata plus æquo ferienda animatis ; ut longius quam ab initio decreverant provehantur, & quem errorem autumant longius ablegandum , aliò errore vel nescij vel oscitantes malè vincere satagant. Ut patet in Pelagianis , Sabellianis & aliis.

Eccui etènim Jansenii stylus eò provectatus est , ut *impossibilitatem* illam horrificam scriptis insereret , à qua nôrat , vel nôsse poterat Augustinum usque adeò abhorruisse , ut tam repetitis sibi iectibus à Pelagianis sibi impactam admiserit numquam , sed velut Deo bono & justo infestam orco transcripserit ? Poterat parili ratiocinio Jansenius objecta Adversantium argumenta convellere, & cum Augustino liberè confitèri : *Deus impossibilia non jubet*. Sed veluti Augustini dissutus armis, alia procudere debuit, quibus adversarios concutiendo suâ sese ruinâ instravit.

At inquires , legerat in Augustino sæpè numero vocem *non posse*. Quid tum ? equidem aliorum abduxit. Numquid & legerat , quod capite decimo quinto ipse prodidit , & illud *posse* ?  
Opor-

DE PROPOSITIONE I. 95

Oportuerat illud utrumque componere, & ab horridioribus his *impossibilia*, *impossibile* superfedere, præsertim cum Augustinum ceerneret molliùs tractare eos, qui cum Justis conantibus volentibusque mandata servare componi non poterat. Nonne enim legerat quod nec infidelibus credere, nec credentibus diligere, nec diligentibus legem adimplere impossibile duceret, sed disertis terminis omnibus hisce hominum generibus Possibilitatem vendicâret? Et tamen se Augustino gratum facturum arbitratus est, si assereret: non modò infidelibus, sed etiam fidelibus imò Justis, neque dumtaxat Justis, sed etiam volentibus & conantibus aliqua Dei præcepta juxta præsentis vires esse impossibilia. Quasi & Augustinus præsentis vires non inspexisset, Dum assereret possibilia, & tam justos conantes & volentes, quam injustos & nondum conantes possibilitate donavit.

Hanc Augustinus vel soli fidei prærogativam statuit, ut per eam dicat, hominem *posse sanari*, *posse mundari*, posse facere liberum; & negabit hominem justum volentem conantemque in justitia perseverare posse, & à peccato declinare mortali? *Si credis*, inquit, *potestas tibi data est ut sis inter filios Dei*; & justo volent ut filius Dei permaneat dicturus est, quantumcumque jam coneris, quantum velis, quoniam adhuc imperfectè conaris & vis, potestas adempta est, seu impossibile est ut in eo quod aves, perseveres? Credentem rursus Augustinus hâc voce potestatis animat: *Ergò fides tua, id est, potestas tua qua tibi data est ut sis inter filios Dei, &c.* Et justum inœrore conficiet: conatus hic tuus, & imperfectum desiderium tuum, non adferent tibi potestatem ut perseveres in numero filiorum, ni fueris de beatissimo Grege Electorum?

Etsi

Et si namque Electis proprium sit actualis perseverantiæ donum; possibilitatem tamen perseverandi non electis justis non abjudicabit Augustinus. Sed de hoc aliàs, cum ultimam primæ propositionis Periodum eventilabimus.

## A R G U M E N T U M II.

*Palladij in Appendice spongiæ notarum Anno 1688.*

**C** Itatis ex Augustino verbis à Jansenio ante memoratis Deum jubere aliqua, *quæ non possumus*, Argumentum format:

*Hic velim accuratè expendi verba illa (Jansenij) SECUNDUM ET VIRES in quibus constitutus est. E quibus liquido patet, nequaquam negari à Jansenio impossibilitatem ex parte potentiæ divino adjutorio forti satis ac valido destitutæ. Erratum puto: Impossibilitatem enim absolutam, quam Hæterodoxi adstruunt, Catholicè oportuit negatam. Vult ergò dicere Jansenium non affirmasse impossibilitatem absolutam, dum asseruit aliqua præcepta esse impossibilia.*

## R E S P O N S I O.

**E** Sto Jansenius Manichæorum & Calvinianorum declinârit invidiam absolutam inficiando Præceptorum impossibilitatem (quo titulo à damnato sensu vindicatum veniunt Janseniani Jansenium, quia cum Calvinianis & Lutheranis non consensit) non ideò cum Augustino fœdus icisse censendus est. Augustinus enim non modò Manichæam impossibilitatem ut impiam execratus est, sed & eam, quam Catholicis objectabant Pelagiani è capite illo, quo asseriebant voluntatem hominis naturalem ad bonum sibi non sufficere nisi adjuvaretur ab omni.

DE PROPOSITIONE I. 97

omnipotenti bono. Hinc namque concludebant Pelagiani impossibilia præcepisse, quia sic homo juxta præsentis vires adimplere jussa non poterat. Respondet Augustinus Deum justum & bonum præcipere non posse, nisi quæ possibilia sunt non modò in semetipsis sed & attentis Viribus quas habet vel habere potest à Deo. Atque ita Jansenius alio tramite erroris, quam Calvinus deviavit. Hic absolutè sub quocumque divino adjutorio possibilia negando; ille verò ob defectum adjutorij efficacis effectum interentis justis impossibilia affirmando.

Nam si impossibilitas relativa ad præsentis Vi- res Catholicum sensum patiebatur; quid erat Augustino proclivius, quam Pelagianis ex impossibilitate gratiam destruere molientibus respondere: Deus quidem non jubet *impossibilia* simpliciter & absolutè, prout delirant Manichæi; sed multa præcipit *impossibilia respectivè*, eò quod multa jubeat, quæ juxta præsentis hominum vires adimpleri non possunt; possunt tamen *absolutè*, quia Deus potest impossibilia possibilia facere. At nimis crudum durumque visum est hanc impossibilitatem decoquere, libuitque absolutè negare Deum *impossibilia jubere*: Quia si jubeat quod non possis, admonet petere quod non possis.

ARGUMENTUM III.

*Ex eodem Palladio.*

**J**Ansenius impossibilitatis rigorem mitigat declaratque quod non ex parte objecti hæreat, sed ex parte potentis validiori Gratiâ destitutæ. Nimirum quia sic loquitur: *Hanc impotentiam*

G

notis

§. 6.

§. 7.

*non solum in excacatis & obduratis & infidelibus, &c. Et cum dixisset: Hanc IMPOTENTIAM, themate variato asserit: Hanc IMPOSSIBILITATEM accidere fidelibus, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Deinde justificare volens impossibilitatis vocabulum producit loca S. Augustini & Prosperi de muro & vinculis IMPOSSIBILITATIS. Ex quibus omnibus jam luculentissimâ veritate claret, inquit Palladius, quô sensu, quâ notione, quô intellectu intulerit tantis scissam clamoribus propositionem, nimirum, esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excacatis & obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus & conantibus secundum præsentia quas habent vires sunt impossibilia.*

## R E S P O N S I O.

**S**I Jansenius vocem IMPOSSIBILE cum voce *Impotentia* converterit, id Augustini consensu non fecit, utpote qui & posse quoddam & non posse asseruit, sed ad impossibilitatis agnominacionem non condescendit; imò disertè, ut suprâ vidimus, in eâdem periodo negavit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod non possis, petere quod non possis.* Murum istum impossibilitatis supra objectum dejecimus, undè non est quod actum agamus.

Præterea respectu justorum volentium & conantium præcepta servare tantam asserere impotentiam, quæ impossibilitati æqui-polleat, durius sonat, quam ut Catholicæ aures ferant: nam & multi ex illis qui non possunt quod volunt, reipsâ tandem præcepta adimplere satagunt & magna imperia magnâ charitate faciunt, quibus præcepta dici nequeunt fuisse impossibilia: nam impossibilia possibilitate non

COLL.

DE PROPOSITIONE I. 99

consummantur. Et nonne volentes & non valentes facere, possunt orare & impetrare vires quibus faciant, & si petunt, quantum debent, certò impetrant? Ideòne illi impotentià seu impossibilitatè constricti fuisse dicentur, eò quod completam & quæ actum suoptè marte inferat facultatem non habuerant? Dicitur impotentià seu impossibilitate impeditus homo sanis oculis in tenebris constitutus si necessarium ad visionis actum valeat lumen adsciscere? Et qui gratiam orationis & operationis ita dispendunt, ut hanc à se efficacem illam verò sufficientem nuncupant, non admitterent homini non valenti operari & orare potenti præcepta esse possibilea? quia illud possumus quod alienis auxiliis possumus. maximè cum ea infallibiliter advocare valeamus.

ARGUMENTUM IV.

*Auctoris confutatæ defensionis Ecclesiæ.*

**N**on docet Jansenius quadam præcepta esse impossibilea simpliciter, sed impossibilea sensu Pelagiano vel Molinistico, hoc est, impossibilea eò sensu, ut nec homo ea solis naturæ viribus implere possit, nec habeat semper à Deo aut per liberum arbitrium habere semper possit auxiliium ita sufficiens, ut præter illud non requiratur aliud ad ea actu implendum. §. I. circa prop. I.

R E S P O N S I O.

**N**on erat Jansenio conflictatio de Antecedente, sed de consequente. Antecedens erat quod non ad sensum Molinianum, sed Augustinianum interpretatum oportebat. Non enim quærebatur an præcepta forent impossi-

G 2                      bilia;

bilia ; sed suppositâ hujus acroamatis indubiâ veritate, in quæstione erat : num ex eo fluat, quam Moliniani contendebant, indissociata omnium voluntatibus divinæ gratiæ ad præcepta implenda opitulatio ; quâ negatâ, hi consecutionis lege certâ conclusum iri autumabant, consecratum a Sacrà Tridentinâ Synodo Maximi Doctoris effatum : *Deus impossibilia non jubet*, &c. Funditus evacuari. Malâ itaque hic Jansenij defensor Dialexi procedit adversus per-illustrem criminatorem & Ecclesiæ defensorem.

L. 3. de Gr. Chr. cap. 13. pag. 324.  
 Nec obstant Jansenij responsa ad argumentum Molinistarum isthæc : *Illam sententiam, quâ dicitur, Deum non jubere quod homini est impossibile, numquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod propriis viribus suis implere non potest; sed solum, quod ita impossibile est, ut neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere.* Quin potius hinc elicitur Jansenium suam impossibilitatem, quam justis per Dei gratiam volentibus adfinxit ex Augustini mente, subruere : nam si Augustinus neget *impossibile id quod alienis viribus*, si eis homo in auxilium advocaverit homo, possit implere, liquidissimum est justo conanti & volenti præcepta non posse *impossibilia dici*, quia possunt alienis, divinis nempe auxiliis adimpleri : idè subnexuit Augustinus dum impossibilia inficiatus est : *Petere quod non possit.*




DE PROPOSITIONE I. 101  
ARGUMENTUM V.

*Ex Eodem.*

**E**T si utatur voce *impossibilitas*, per eam tamen non aliud intelligere se quam *impotentiam* quamdam ortam ex eo quod adhuc desit auxilium aliud ad præcepta implenda necessarium, declarat his verbis quæ subjungit: *Perस्पicuū enim est eos, qui Deum pro impetranda Gratiā deprecantur, ut valeant facere quod jubetur, iam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem*, plenam enim scilicet ad præcepta reipsā adimplenda. Et tum concludit Propositionem nempe litigiosam.

R E S P O N S I O.

**P**erperam Jansenius defectum plenæ perfectæque potestatis impotentiae tantæ titulo depressit, quæ *impossibilitas* valeat appellari. Quod Augustinus soli naturæ sine omni gratiæ intuitu consideratæ contra Pelagianam possibilitatem naturalem adstruxit, id voluntati divinitus adjutæ, & ulterioris adjutorij adminiculo juvari volenti ac valenti, inconsequenter asseruit. Impotentiam quoque simpliciter ceu impossibilitatem istam repetendo immemorem se ostendit quid sit potestas seu possibilitas voluntatis, de quâ pronuntiat Augustinus Pelagianisque responderi impossibilitatem objicientibus: *Illæ sunt in nostrâ potestate, quæ si volumus facimus, si non volumus non facimus: Ut autem velimus, preparatur voluntas à Domino.*



G 3

AR.

Ex Eodem.

**E**X contextu propositionis patet quid per impossibilia intellectum velit: sed quibus adhuc deest gratia necessaria ad ea actu implendum, sunt, non quidem simpliciter, impossibilia hoc sensu quod nondum habeant posse plenum & perfectum, quo actu ea impleant, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiunt, eâ possibilitate quæ complectitur omnia ad ea actu implendum necessaria.

## R E S P O N S I O.

**V**el Jansenius admittit potentiam ad id quod conantur & volunt justi licet imperfectâ voluntate, ab actu observationis mandatorum distinctum, vel non. Si primum, non æquo nomine impotentiam *impossibilitatemque nuncupavit*; si secundum, Deum justum & bonum justis conantibus & volentibus duriores severioresque reddidit, quam ut Augustinus, & cum eo Catholici hoc sine horrore inaudiant. Sed de hoc infra: Denique modus argumentandi Jansenij non absimilis est Pelagiano. Pelagius siquidem possibilitatem & potentiam voluntatis ad bonum concessit.

